

DISPUTATIO  
PHILOSOPHICA  
De  
**ESSENTIA**

*Quam*  
Annuente eo qui est Unus in Essentia  
& Trinus in personis

*Sub Praesidio*  
*Excellentissimi & Clarissimi Viri, Dni*  
**M. JOHANNIS STRUBORGII**  
*Philosoph. in Collegio Rigenſium celebri Profeſſ.*  
*Publici, Praeceptoris ſui plurimum colendi.*

Publicè ventilandam proponit.  
**CONRADUS MEYER**  
Rigã-Livonus.

Die 7. Aprilis hora 8. matutina & ſeqq.

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠  
✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠  
✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

RIGÆ LIVONUM,  
Typis GERHARDI Schröder / 1636.

J 8



*Clarissimo, Excellentissimo & Spectatissimo*  
Viro

**DN. BARTHOLOMÆO MEYERO,**  
Illustrissimi Celsissimiq; Principis Curlan. Sengal. &c.  
Secretario meritissimo, Patrueli, Fautori summa  
animi observantia colendo.

*vi*  
*Reverendis, Clarissimis ac Humanissimis*  
Viris

**DN. PETRO IOHANNIS**  
Ecclesiasti Bauscovien. vigilantissimo,

**DN. EBERHARDO MEYERO,**  
Pastori Doblinen. fidelissimo,

*Dominis Patronis, Consanguineis, Ami-*  
*cis perpetim colendis & veneran-*  
*dis in certissimū debita observātia,*  
*indubij amoris & benevolentia si-*  
*gnum hanc disputationem officio-*  
*se dicat & dedicat,*

**Respondens:**



**T H E S I S I.**

**Primè locutus qui dixit; qui errat circa prin-**  
cipia, multo amplius circa principiata errabit: Cum  
ergo Essentia sit principium rei, quippe errans cir-  
ca conceptionem essentia, maxime circa intelle-  
ctionem sequentium errabit.

**2.**  
Tripliciter autem aliquid concipitur & cognoscitur:  
1. Per realem praesentiam ipsius cogniti, qua ipsum cognitum  
realiter jungitur potentiae cognoscitivae. 2. Aliquid cogno-  
scitur per praesentiam similitudinis cogniti in potentia cogno-  
scitiva. 3. Per similitudinē similitudinis in aliquo relucens.

**3.**  
Essentia Graecis *ἔσθια*, varijs modis accipitur à Philoso-  
phis. Sumitur 1. pro eo quod res est, & tunc exprimitur rudi  
& parum Latino vocabulo, quamvis accommodato, Quiddi-  
tas, qua assignatur essentia rei: quaerenti enim quid res sit, o-  
ptime per expressionem quidditatis respondetur. 2. Accipi-  
tur pro eo quod simul assumitur, ut aliquid essentialiter defi-  
niatur. 3. Pro natura cujuscunq; rei quatenus illam facit ope-  
rari. 4. Deniq; essentia sumitur pro rebus quae definitionem  
essentialem ingrediuntur, illamq; componunt.

**4.**  
Nos accipimus essentiam in primis & pro radice proprie-  
tatum & operationum realium, & pro eo quod non involuit  
repugnantiam ad existendum, & quod rem ita ingreditur, ut  
illius essentialem definitionem componat.

A 2

s. Egrege

5.  
Egregie Scharfius in suo Metaphysico exemplari lib. 1. de Natura & varietate Essendi de Essentia loquitur. Essentia ibidem dicit esse id, quod est, seu quod esse reale habet, quodque per definitionem exprimitur. Ulterius inquit, essentia alias describitur ita, quod sit principium primum & radicale omnium operationum & proprietatum, quæ rei conveniunt.

6.  
Propter diversimodam illam essentia considerationem, varias quoque sortitur appellationes: dicitur enim aliquando Natura, Quidditas, Forma totius, Ratio formalis, item conceptus formalis & essentialis ipsius rei, quæ omnia diversis respectibus essentia competunt, simulque exhibent id, quod primum in unaquaque re concipi debeat.

7.  
Essentia duplex esse potest, simplex nimirum vel composita. Simplex illa est, quæ etiam multiplicem gradum aut entitatem respicit. Composita vero plures essentialis perfectionis gradus admittere potest, quarum perfectiones nonnullæ respectu aliarum, dicuntur potentiales, quæ sunt communiores, aliæ vero dicuntur actuales quæ sunt specialiores.

8.  
Quo pacto essentia rerum dicantur indivisibiles: quo pacto nihil quod pertineat ad essentiam addi vel detrabi possit, quin statim mutetur & fiat alia natura: an accidentia quoque sint indivisibilia. Item, quomodo essentia rerum dicantur æternæ, deque aliis ad essentiam spectantibus, cum de ijs publice egerimus, eandem crambem toties coctam atque recoctam vicissim apponere, reformidamus. Interea optime hi loquuntur, qui essentiarum indivisibilitatem ex æqualitate participationis metiuntur. Optime quoque hi, qui essentias rerum numeris esse similes dicunt: Sicut enim numerus addita vel sublata

lata unitate mutat speciem; sic addito vel detracto essentiali aliquo actu, essentia seu natura rei mutat speciem.

9.  
Optime demum & hi suo modo loquuntur, qui dicunt ad æternitatem essentia explicandam, tria esse supponenda. 1. Esse objectivum 2. Esse virtuale & 3. esse subjectivum, seu esse reale actuale. Quibus suppositis facile videri potest, in quo respectu essentia rerum dici queunt æternæ.

10.  
Distinctionem essentia ab existentia, quam olim in thesibus nostris publice ventilavimus adhuc retinemus.

11.  
Existencia etiam si non realiter distinguatur ab essentia, non tamen est eadem cum illa, neque ejus quidditas, nec ejus genus, nec differentia, nec materia, nec forma, nec etiam ipsius accidens neque ut in se spectatur est accidens prædicamentale. Cum ergo nihil horum Existencia competat, relinquitur ut dici debeat modus essentia intrinsecus, quo formaliter res dicatur esse actu, sive extra suas causas.

12.  
Quæris, num & Accidentia suas habeant existentias? R. ita esse, cum enim modus sequatur rem cujus est modus, hinc fit si essentia sit substantialis, ipsius quoque existentia dicatur modus substantialis: si vero essentia sit accidentalis, ipsius quoque existentia dicatur accidentalis.

13.  
Modus existendi qui & essentia substantiali & accidentali competit in hoc est distinctus: Quod substantiali, primo & maxime proprie, accidentali vero, secundo & minus proprie competit.

14.  
Quoniam autem unumquodque tali modo sibi vendicat essentiam,

essentiam, quali, sibi participat rationem entis, & cum non omnia eodem modo rationem entis participant, hinc fit, ut essentia ratio diverso modo se habeat in diversis rerum generibus.

15.

In substantiis materialibus, completis, essentia rationem sibi vendicat entitas totius compositi, ex utraq; ipsius parte, materia scilicet & forma coalescens.

16.

In substantiis spiritualibus essentiam sibi vendicat simplex rei spiritualis forma. Verum nota hoc in loco substantias spirituales & quidem creatas dici simplices ratione essentia, eomparatione rerum Physicarum; alias, illas omnis compositionis esse prorsus expertes pernegamus. Ex eo vero non sequitur, si compositionis omnis non sunt expertes, ergo illae erunt ejusdem rationis cum materia & forma.

17.

Differentia qua essentia substantia composita ab essentia substantia simplicis differt, haec est: Prima, substantia composita comprehendit materiam & formam, non vero essentia certo modo simplex. Secunda, in essentia substantia composita potest assignari & pars & totum, non item in essentia simplici. Alij addunt tertiam differentiam scilicet, quod essentia substantia composita, eo quod recipitur in materia signata, multipliciter significat divisionem ipsius materiae, inde contingere existimant, in substantiis compositis pluralitatem individuorum sub eadem specie: Secus fieri dicunt in essentia substantia simplicis.

18.

Minime vero inde elicitur, etiamsi inter se differant; essentias substantiarum simplicium, non habere sua genera & differentias: licet enim genus non sumant ab eo quod est materiale

teriale in re, & differentiam ab eo quod est formale, tamen assumunt genus ab aliquo communi in quo apprehenduntur convenire, quod non est materiale simpliciter, sed solum in quantum habent modum determinabilis: differentias v. sumunt a suis essentiis, in quantum sunt tales vel tales gradus perfectionis.

19.

Insignis hic oritur quaestio, sed difficultatum scopulis intercepta: Utrum omne habens essentiam reponatur in praedicamento? Responsio ex diversitate modi habentis essentiam liquet. In substantiis autem est triplex modus habendi essentiam. 1. Aliquid habet essentiam prorsus eandem cum suo esse, ita ut nulla distinctio intercedat. 2. Aliquid quidem habet essentiam simplicem, quae tamen est in potentia ad recipiendum esse distinctum ab ea. 3. Aliquid habet essentiam compositam ex materia & forma. Quibus distinctionibus datis, responsio in propatulo est.

20.

In quo ratio essentia divina consistat, num in forma simplicissima per se subsistente, omnisq; prorsus compositionis experte, viderint Theologi.

21.

Interim non absurdum esse philosophice judicamus, essentiam divinam ex parte rerum causarum, si sub genere causa cognoscatur, posse tum & causam efficientem dici, & formalem, juxta alios exemplarem, & finalem sub diversis rationibus.

22.

Hic acriter disceptatur num & accidentia suas habeant essentias. Respondemus, non ascribimus horum catervae, qui omnia accidentia privant suis essentijs, sed dicimus accidentia sibi vendicare certo respectu suas essentias, quae in eo consistit, ut substantiam alia atq; alia ratione afficere, ipsiq; inherere

91  
inherere vel assistere possint, cum omne accidens dicatur accidens respectu substantiæ.

23.

Qui dicunt quædam accidentia ex principiis essentialibus sui subjecti secundum actum completum causari: Et quædam accidentia solum causari ex principiis sui subjecti secundum aptitudinem, sed complementum superadvenire ex agente superiori, non absq; ratione loquuntur.

24.

Neq; absurdum esse existimamus essentias rerum in universalitatis & communitatis statu consideratas (quamvis opinionem nostram novitatis nonnulli insimulaturi, & iniqua iudicij lance illam non subtilitatis sed falsitatis arguturi) dici posse suo modo reales, non quod realiter & actualiter existant, seu quod habeant aliquod esse reale particulare ante existentiam, sed quod possunt realiter existere, sive quod habeant possibilitatem existendi. Et cum dentur necessariæ connexiones rerum non existentium, quæ quidem connexiones nihil aliud sunt formaliter quam negationes diversitatis inter subjectum & attributum: cur & has essentiis antequam producantur denegemus, nulla subest ratio.

25.

Nec valet impetus, carens definitione caret essentia: Et quicquid caret esse, caret quoq; essentia: x. eo modo quo aliqua habent definitionem, quæ definiri queunt, eo modo habent essentiam, quia essentia est id, quod per definitionem significatur.

26.

Accidentia vero non vindicare sibi propriam essentiam hæcæ argumentis comprobare nonnulli nituntur. 1. Ita se habere essentiam accidentium ad substantiam, sicut se habet sanitas in cibus ad sanitatem in animali. 2. Quia principia substantiæ sunt etiam principia accidentis, ergo non habebunt essentiam,

*est defect*